



## The Holy See

---

PAULUS PP. VILITTERAE APOSTOLICAE **CONDITRIX, ANTISTITA\*** BEATA MARIA VIRGO, A SEPTEM  
DOLORIBUS APPELLATA,  
PRAECIPUA PATRONA DECLARATUR  
CONGREGATIONIS FILIORUM A CARITATE,  
QUI VOLGO SODALES CANOSSIANI DICUNTUR. Ad perpetuam rei memoriam. — Conditrix, antistita et mater habetur  
coliturque in Congregatione Filiorum a Caritate dolorosissima Virgo Maria iam inde ab Instituti ortu, cum scilicet Beata  
Magdalena e Marchionibus de Canossa, multorum Episeoporum obseeuta voluntati, quod opus mulierum proprium  
inchoaverat, pari ad homines ratione statuit transferre. Quae enim acerbos ac salutiferos Reginae Martyrum dolores suis  
scriptis commemoravit, ipsisque vitae suae moribus expressit, illa peculiarem sodalium pietatem divino Calvariae facto  
voluit innixam ac sanguine nostri Redemptoris lacrimisque Deiparae Mariae quasi conspersam. Ita quidem factum est, ut  
Canossiani sodales, in tutelam Virginis Perdolentis traditi, preces effundere multas aliaque exsolvore Eius honori  
officia consuescerent, atque etiam, huius cultus retinentes, sacri apostolatus labores, ad iuenum  
praesertim bonum procurandum, susciperent. Quodsi diu admodumque pauci una tantummodo  
sede Venetiis, intra fines paroeciae Sancti Ieremiae, sunt usi, hodie, meliore spe auctus arridente, religiosi iidem viri  
alacrius suo instant operi, christianamque, quam curant, animorum institutionem mariali religione perfundunt ac  
perficiunt. Hoc enim in lege novissima, ab hac Apostolica Sede omnino probata, statuitur, ut pias condant sodalitates, a  
Virgine Perdolente appellatas, quibus adulescentes ut socii asciscantur, sollemnia statis diebus celebrent, et, ad  
proprium vivendi genus quod attinet, exercitationes faciant pietatis suique castigationes ad caelestis suaे Patronae  
laudem. Nunc autem, his omnibus ad Nos relatis, dilectus filius Praepositus Generalis Congregationis Filiorum a Caritate,  
nomine quoque supremi consilii religiosorumque omnium virorum, Nos impense rogavit, ut mariale patrocinium, eadem  
appellatione distinctum, publice sollemniterque ediceremus. Quod votum, amplissima roboratum commendatione Dilecti  
Filii Nostri Alfredi S. R. E. Cardinalis Ottaviani, Protodiaconi Sanctae Mariae in Domnica atque eiusdem Congregationis  
Protectoris, benigne esse admittendum censemus. Itaque, ex Sacrae Rituum Congregationis consulto, certa scientia ac  
matura deliberatione Nostra, deque Apostolicae potestatis plenitudine, harum Litterarum vi perpetuumque in modum,  
Beatissimam Virginem Mariam, a Septem Doloribus appellatam, principalem apud Deum universae Congregationis  
Filiorum a Caritate, qui vulgo sodales Canossiani dicuntur, caelestem *Patronam* constituimus ac declaramus, omnibus  
adiectis honoribus et privilegiis liturgicis, quae praecipuis religiosorum coetuum Patronis rite competunt. Contrariis  
quibusvis nihil obstantibus. Haec edicimus, statuimus, decernentes praesentes Litteras firmas, validas atque efficaces  
iugiter extare ac permanere; suosque plenos atque integros effectus sortiri et obtinere; illisque, ad quos spectant seu  
spectare poterunt, nunc et in posternm plenissime suffragari; sicque rite iudicandum esse ne definiendum; irritumque ex  
nunc et inane fieri, si quidquam secus, super his, a quovis, auctoritate qualibet, scienter sive ignoranter attentari  
contigerit.

Datum Romae, apud Sanctum Petrum, sub anulo Piscatoris, die XXVI mensis Novembris, anno MCMLXIII, Pontificatus Nostri primo.

HAMLETUS I. Card. CICOGNANI  
*a publicis Ecclesiae negotiis*

---

\*A.A.S., vol. LVI (1964), n. 8, pp. 514-515

© Copyright 1963 - Libreria Editrice Vaticana

---

Copyright © Dicastero per la Comunicazione - Libreria Editrice Vaticana